

10
10
SE PULTURA

VETERUM. 1648 10

sive

DE ANTIQVIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS

Romanorum, Græcorum,
Judæorum & Christianorum
DISPUTATIO OCTAVA
ET ULTIMA.

Quam

D. G. M. A.

PRÆSIDE

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.
QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.
ADJUNCTO,

Publicæ ac placidæ disquisitioni subicit.

JOHANNES COCUS,
Loburgensis Saxo.

Ad diem 29. Novembr. horis matutinis.
In Auditor. Philosophor.



WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendt / Anno MDCXLVIII.

SEPTUAGINTA

VEFERUM

IVE

DE ANTIQVIS RITIBVS SE

Romanorum, Gregorium,

Judaeorum & Christianorum

DISCIPLINARVM OCTAVA

ET VLTIMA.

AVG.

M.

M. JOH. ANDR. OVENSTEDT.

OPEDI. FACULT. PHIIOSOPH.

AVG. DISTICTO.

AVG. DISTICTO.

JOHANNES COCIS

LOHNIGEN. S. A.

AVG. DISTICTO.

AVG. DISTICTO.



EX LIBRIS

Typis MICHAELIS REINHOLDI ANNO MDCCLXIII.



CAPUT XIV.

De Excessu circa sepulturam, cùm ratione
sumptuum, tùm ratione subjecti
sepeliendi.



Excessus circa funerationem positus in-
primis fuit antiquitus in inutili sum-
ptuum profusione. Jure merito cul-
pandi hinc sunt Tybricola, quos modum
excessisse in impendendis in res funere-
as atque adeò perituras sumptibus, ex
precedentibus oppidò conjicias. Vidimus enim
quanto studio præparata apud eos functorum corpora,
vermibus esca futura, quantâ pompâ educta, quàm
splendidis vestibus pretiosisque rebus aliis funerata,
quantis impensis sepulcra condita, Epulæ, ludi insti-
tuti, ac munera data. Et quanquam de sumptibus fu-
nerum caverunt Leges XII. Tabular. *Sumptum minuito;
tria, si volet, eicinia* (vestimenti genus erat) *& vincula
purpura, & decem tib. cines adhibeto; hoc plus ne facito.* Ac
alibi: *Neve aurum* (mortuo) *addito &c.* (Fragmenta le-
gum harum Xvirialium recenset Cicero in fine libri II. de
LL. ubi inter cetera ita loquitur; *Nostra quidem legis in-
terpretes, quo capite jubentur sumptus & luctum removere à
deorum manium jure, hoc intelligunt, in primis sepulcrorum
magnificentiam esse minuendam.*) Non tamen vim suam Le-
ges XII. Tabul. obtinuerunt, sed ad immensos sum-
ptus progressa ista res est. Sylla legem promulgavit,
quâ funebres impensæ & ambitiosæ exequiæ atque ad
rogum munera, nec non conviviorum impendia præ-

*Sumptuose
sepeliverunt
Romani.*

scripto sine taxabantur; sed legem hanc suam in Metellæ conjugis funere transgressus ipse, profusione maximâ exequias dedit. *Alexand. ab Alexand. lib. VI. Genial. Athenienses.* *Dier. cap. 14.* Athenienses, quos ad summam superstitionem anxios fuisse in rebus funereis alibi dixi, postquam sumptuosa funera ac ampla nimis sepulcra facere cœperunt, Solonis lege prohibiti sunt, ne sepulcrum facerent operosius, quàm quod decem homines efficerent triduo. Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas, quos vocant, licebat imponi, ut refert Cicero lib. II. de Legibus, ex Demetrio Phalereo. Posteaquàm, inquit, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem isdem propè verbis nostri Xviri in undecimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus reiciniis & pleraq; alia Solonis sunt. Subjicitque legem jam dictam Solonis, quâ amplitudo ac magnificentia ædificandorum sepulcrorum Athenis inhibita fuit. Et post aliqua inquit: Sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcrorumq; magnificentiam, quæ nunc ferè Rome est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Lycurgum itidem, omnem circa mortuos & sepulcra superstitionem sustulisse tradit Plutarchus in Lycurgo & Lacon. Ulysses maximè sibi curæ esse, ut splendido opere defunctus sepeliatur, quippe quod ad memoriam extendendam maximè faciat, proclamatur apud Euripidem, Hécuba. Ita quidem fatuus ille, ut malit in vitâ re esse tenui, quàm honoratâ sepulturâ carere. *Bartbius lib. LIII. advers. cap. VII.* Hephæstionis funus Babylone ab Alexandro celebratum, quæ toto sunt terrarum Orbe unquam edita, facile excessit magnificentiâ, & sumptu, quando ad duodecim talentorum

torum millia traduntur effusa, quo nomine in prover-
bii faciem trahi scienter potest; *L. Cælius Rhodigin. Lect.
Antiq. lib. XVII. c. 19.* Aegyptios de structurâ domorum
minus fuisse sollicitos, in adornandis autem sepulcris *Aegyptij.*
eximiè, nihil studii fecisse reliquum, refert *Diodorus Sicu-
lus lib. I. cap. 51.* In primis mirificâ & portentosâ ma-
gnificentiâ extracta fuerunt apud illos priscorum re-
gum sepulcra, ut apud eundem *lib. dicti cap. 48. & 49.*
legere est, ubi prolixè describit monumentum regis
Osymanduæ, quod non modò sumptuum magnifi-
centiâ sed & artificum industriâ cætera antecelluisse
dicit. *Rarum & memorabile est* (inquit *Cornelius à
Lapide Comm. in Jerem. cap. XXII. v. 19.*) *quod scribit
Plinius lib. XXXVI c. 12. iusto iudicio DEI factum esse, ut igno-
retur quinam fuerint Pyramidum Aegyptiarum autores, eò
quod ipsi in insanis hisce fabricis (quæ Romam translata, etiam
num intuentibus sunt stupori,) regum opes exhauerint, & no-
minis aternitatem apud posteros quaesierint.* Erat & alia
vanitatis & superstitionis species, ut hoc obiter ad-
dam, apud Aegyptios veteres, si non omnes, saltem ali-
quos. Hi enim corpora medicata i. e. aromatis con-
dita & exsiccata, nec cremabant, nec sepeliebant, sed
domi in conclavibus & lectulis asservabant, mensisq;
itidem adhibebant tanquam convivas. Vide *Ciceron.
1. Tusc. Pompon. Melam de Situ Orbis lib. I. cap. IX. Lucianum
in De luctu. unde Silius Italicus lib. XII.*

— — — Aegyptia tellus

Claudat odorato post funus stantia saxo

Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.

Retinuerunt hanc inveteratæ consuetudinis vani-

Y 3

tatem

tatem Christiani nonnulli in Aegypto ex Paganismo
conversi aliquandiu, quam acriter reprehendit Anto-
nius Eremita, ut in ipsius vita, quæ sub Athanasii no-
mine circumfertur, habetur: *Mos etenim Aegyptius est,
nobilium & præcipue beatorum Martyrum corpora lætamine
quidem obvolvare, & studium funeri solitum non negare; terrâ
verò nō abscondere, sed super lectulos domi posita reservare. Hunc
honorem quiescentibus reddi, inveterate consuetudinis vani-
tas tradidit. De hoc Antonius sæpe & Episcopos deprecatus est,
ut populos Ecclesiasticâ consuetudine corrigerent, & laicos, vi-
ros ac mulieres rigidius ipse convenire, dicens: Nec licitum hoc
esse, nec DEO placitum, quippe cum Patriarcharum & Prophe-
tarum sepulcra, quæ ad nos usq; perdurant, hæc facta convince-
rent. Eandem fuisse ipsius Athanasii mentem testatur
Damascenus Orat. l. de imaginibus; Scimus B. Athanasium
Sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi conden-
das esse eo consilio censuisse, ne absurdum Aegyptiorum morem
abrogaret, qui mortuos suos non sub terram condebant, sed in
lectulis & scimpodis collocabant. Ut ad impensas fune-
reas revertar; in sumptibus parentalibus faciendis, non
videri cessisse ulli genti Danos inquit *Olaus Wormius
Monumentorum Danicarum lib. 1. cap. VI.* Hoc ut probet
inter alia adducit exempli loco ex Saxone Grammati-
co Haraldum Gormonis filium, qui universum regni
exercitum bonique numerum ingentem inusitata
magnitudinis saxo in Jutico littore reperto applicuit,
quo matris tumulum insigniret. Gallorum etiam fu-
nera pro cultu fuere magna & sumptuosa, attestan-
te *Cæsare Commentar. VI. de Bell. Gall.* item in Hispanorum
gente: Appianus, in Hispanicis, de Viriati ducis ipso-
rum funere loquens; *Ουρία θον μὲν λαμπρὰ τὰ ἐπισημάν-
τις**

Dani.

Galli.

Hispani.

πρὸς ἐπὶ ὀψηλολάτης πυρᾶς ἕκατον. i. e. Viriati corpus ma-
gnificentissimè exornatum altissimo rogo cremarunt.
De Judæis scribunt *Hieronymus* & post eum *Nicolaus de Judæis*.
Lyra, moris fuisse apud eos, sepeliri sumptuosè, præ-
fertim nobiles. Cardinalis *Baronius ad annum Christi*
XXXIV. num. XCI. & Pineda in Jobi cap. III. v. XV. num. 4.
referunt; Tantùm olim excrevisse apud Hebræos hanc
funerum impensam, ut interdum ejus magnitudine
deterriti cognati & propinqui, relicto cadavere se ali-
quandiu subducerent. Moderata autem hæc fuisse à
Gamaliele seniore, filio Simeonis, nepote Hillelis, ad
cujus pedes Sanctus Paulus Apostolus Jerosolymis in
Judaismo enutritus creditur, atque statutum, ut non
nisi lineis velis cadavera obvolverentur, cujusvis ef-
sent conditionis aut ordinis. Ex *Zæm. Dav. fol. 36. b.* ci-
tat *Schicbardus de Jure Regio cap. VI.* verba, quæ ut toga
donata adscribam: *Rabban Gemaliel senex preceperat ante*
obitum, ut se vilissima veste lineâ sepelirent. Nam prius con-
sueverant mortuos in holosericis efferre, ut sepultura consan-
guineis gravior fuerit (minusq; tollerabilis) ipsâ morte, sicut est
in Talm. cap. 2. Mass. Schabb. Sed de lege Judæorum, quâ
luxus vestium sepulchralium prohibebatur, egi supra
cap. V. ubi de vestitu. Augebat maximè sumptus auri
pecuniæque ac aliarum pretiosarum rerum in sepul-
era illatio, pluribus populis familiaris admodum. Non
repetam ea quæ *cap. VII.* dixi de munerum in rogam
conjectione apud Gentiles. Cum auro & argento, in-
quit *Kornmannus de miraculis mortuorum part. X. cap. XIX.*
morem sepeliendi olim apud Romanos usitatum fu-
isse, apparet ex Ulpiani responso, qui tamen hisce ver-
bis prohibetur in *l. & si quis §. non oportet D. de relig. &*
sums.

sumpt. fun. Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simplices faciunt. Refert *Besoldus Consider: Polit de vita & Morte cap. III. ex Arugrim. Jona de Islandia lib. 2. ad fin.* In Islandia quondam, indignum præclaro parente habitum fuisse filium, qui in armis minùs posset: utque posterì cum majorum rerum gestarum gloriâ magis contenderent, vetuisse, bona parentum armis quasi-ta, ad filios devolvi hereditario jure; quin ea potius, cum defunctis Dominis inhumanda censuisse; ut sunt aurum, argentum, gladii, clypei, equi &c: Occasionem investigandi huiusmodi thesaurum sepulchris includi solitum Dario dedit inscriptio monumenti Nitocris (vel ut Plutarchus vult, Semiramidis) reginæ Babylonis. Hæc enim cum sepulchrum sibi exstruxisset admirandi sumptus supra portas urbis, inscribi iussit hæc verba; *Quicumq; Rex pecuniis indiget, aperto monumenta, quod voluerit, accipiat.* Quas literas cum legisset Darius, frustra opinatus est, thesaurum ibi reconditum esse, sepulcri lapide revolutò, non quidem pecunias, sed literas alias vidit ita dicentes: *Nisi pecuniis esses inexplebilis & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulcra non aperuisses.* His lectis ab ulteriore investigatione & infestatione cessavit, vide *Herodotum lib. I.* Salomon Rex ditissimus ut est apud *Josephum libro VII. antiquit. cap. ult.* Præter solemnia illa in Regum funeribus, ingentem pecuniæ vim patrio intulit sepulcro: de quâ post multos annos Hircanus Pontifex, cum ab Antiocho Rege, cognomine Pio, Demetrii filio, urbs Hierosolyma oppugnaretur, tria talentorum millia extraxit, eorumque partem Antiocho, ut obsidionem solveret, numeravit, seque ac Ur-

ac Urbem oppugnationis periculo exemit. Unde Ege-
seppus lib. I. de excid. Urbis Hierosolym. cap. I. Repulit Hir-
canus auro, quem ferro nequibat, reseratq;, ut Josephus au-
tor est Davidis sepulcro, tria millia auri talenta eruit. Refert
idem Josephus loc. cit: Herodem Regem postea ad exem-
plum Hircani aliâ cellâ apertâ, magnam inde auri sum-
mam sustulisse. vide & eundem lib. XVI. cap. XI. de He-
rode, ubi tamen paulò à seipso diversus est. Hic au-
tem mos defodiendi pretiosa cum cadaveribus, irra-
tionabilis visus est Hebræis Doctoribus; Precipiunt (in-
quit Schickardus loc. sapius alleg. p. 163.) sapientes
(Hebræi) cavere, ne quid facile unâ defodiatur, quod aut
pretiosum sit, aut honestius utiliusq;, possit egenis erogari. subji-
cit verba Magistri Hebræorum Maymonidis ex H. Efel.
cap. 14. quæ latina facta adscribam, quantum ad no-
strum institutum; Docendi tamen sunt homines, ne sint
dissipatores, vel assuescant intempestivis perditionibus. Præ-
stat enim ea dare pauperibus, quam sic inutiliter vermibus ob-
jicere. Irrepere etiam in Ecclesiam Christianam quan-
doque cœpit luxus & ostentatio circa sepulturam.
Quam rem vehementer detestati sunt Sancti Patres.
Hieronimus in fine libri de vitâ Pauli Eremitæ; Cur &
mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus, la-
crymasq;, non cessat? An cadavera divitum, nisi in serico, putrescere neque-
unt? S. Chrysostomus Homil. 84. Tu cum audieris nudum
Dominum resurrexisse, cessa, queso, ab insanâ funeris impensa. Quid
sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt,
plurimum affert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum po-
tius. Sumptuosa namque sepultura, interdum causa est, ut fures cada-
ver effodiant & nudum & insepultum projiciant. Et post pauca;
Quod ego non ut sepulturam tollam, dico, absit, sed luxuriam & super-
fluam ambitionem. Idem ibidem dicit, Dominum non

Christiani
quandoq;

Z

addi-

addidisse (Matth: XXV.) mortuus fui & sepelitis me, quia sponte sua homines non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in eâ faciendâ excedere. Quidam Christianorum non pretiosis tantum vestibus defunctorum involvebant corpora, sed & alias res sumptuosas, aurum etiam & argentum sepulcris inferebant, quæ illecebræ & irritamenta erant furibus, violandi effringendique mortuorum monumenta. Vide *Gretserum libro I. de Funere Christiano cap. VI. Pinedâ loc. supra all. Adificia tegant cineres*, inquit *Cassiodorus lib. IV. Var. Ep. XXXIV. columna vel marmora ornament sepulcra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. -- Imò culpa genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita viventium sustentare potest.* Hactenus de primâ Capitis parte, succedit altera, quæ est de Excessu circa sepulturam, ratione subjecti sepeliendi.

Quidam Gentilium etiam animalia bruta sepultura honore affecerunt.

Quidam enim Gentilium non contenti magnos impendisse sumptus funerandis humanis corporibus vitâ functis, ipsa quoque animalia bruta hoc honore supremi tatis, ut vocat *Ammianus Marcellinus*, affecerunt. Sic equis & canibus suis honorificam Reges & Impp. nonnulli sepulturam præstiterunt. Magnus ille Alexander exquisitissimas equo suo, *Bucephalo*, duxit exequias, urbe in super ejus nomini dicatâ, ut plurimi tradunt Scriptores. Equos suos sibi imprimis charos sepulcro honorarunt *Augustus Cæsar*, *Antoninus Verus*, *Nero*, *Caligula*, *Adrianus*, *Commodus Verus*, *Adriani Imp. adoptivus filius*, ut refert *Kornmannus de Miraculis mortuorum parte VII. cap. XIV.* *Adrianus* in super *Boristhenis* equi tumulum Epitaphio ornavit, quod ipsum cum notis vide apud *Barthium libr. XXIII. advers. cap. VIII.*

Agri

Agrigentini equis suis in certamine probatis non negarunt sepulturam, imò complurium Equorum tumulos in Agrigentinâ regione Pyramidas habuisse, testatur *Plinius lib. VIII. H. N. cap. XXII. Miltiades tres equas Olympiæ victrices* (quæ ad Olympiam, quinquennialibus ludis illustrem Urbem, curuli certamine victoriam erant adeptæ,) *tumulo in Ceramico* (Athenis) *composuit. Evagoras Laconitidem Olympionicas Equas magnificè sepelivit,* ut narrat *Aelianus lib. XII. de Animalibus cap. XL.* Canes etiam sepulturæ honore affecit *Adrianus Imper.* affirmante id *Aelio Spartiano* in *Adriano.* Quanto impenso columnarum de porphyrite tumulavit *Pollicus dilectissimum suum canem,* ornando eum bellissimo Epitaphio inquit *Kornmannus loc. alleg. Romæ Corvum aliquando,* (qui omnes senatores & patritios nominatim appellare fuit solitus,) prælatis coronis ac præcedente tibicine duorum Aethiopum humeris elatum esse refert *Plinius lib. X. cap. XLIII.* Aegypti Regem nomine *Marrhem Cornici* ita edoctæ, ut hinc inde sub alis literas portaret, præpete volatu, sepulcrum extruxisse, asserit *Aelianus lib. VI. Animal. cap. VII.* *Lacydem Philosophum Peripateticum Anserem suum mortuum non minùs ambitiosè, quàm aut filium aut fratrem sepulturæ honore affecisse,* autor est idem *Aelianus lib. VII. Animal. cap. XLI.* Narrat *Diodorus,* referente *Kornmanno loc. cit.* de quodam, qui in solâ sepulturâ diversorum Animalium aliquot vicibus impenderit centum talenta. *Persæ & Parthi consueto more sepeliverunt suos equos, Molossi suos canes,* teste *Rhodigino in antiq. lect. LVIII. c. 13.* *Stattius Poeta Lib. II. Sylvar. in Epicedio Pileti:*

Z 2

gemit

— gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosq; canes flevère Molossi:
Et volucres habuère rogos, corvusq; Maronis.

Ægyptii boves, feles, canes, urfos, lupos, Ichneumones, accipitres & quas Ibides vocant, aliaque animalia, quæ non viva tantum, sed & demortua venerantur, sepeliebant. Sic enim de illis Herodotus lib. II. Quibuscunque in domibus felis oppetit mortem, earum domorum habitatores cuncti sola supercilia eradunt: rotum autem corpus & caput, in quorum domibus moritur canis. Efferuntur autem feles mortua ad sacra recta, ubi salita sepeliuntur in Urbe Bubasti. Canes fœminas in sua quisque urbe tumulant, sacratis in loculis. Eodem modo quo canes fœmina, ichneuta sepeliuntur. Nam Mygalas, i. e. mures araneos, & accipitres in urbem Butum asportant. Urfos autem qui sacri sunt, & lupos, non multò vulpibus grandiores, eò loci sepeliunt, ubi jacentes inveniunt.

CAPUT XV.

De Neglectu Sepulturæ, abolendique cada-
vera variâ ratione apud Gentes.

*Sepulturam
ejusq; curam
nihil fecerunt
quidam Phi-
losophi in pri-
mis Stoici.* **Q**uanquam maxima Gentium pars in alia omnia discors, in hoc conveniebat, humanorum post fata corporum curam exactè gerendam esse, non defuerunt tamen, qui spernerent penitus. Plurimi Veterum sapientiæ Consultorum, in primis Stoicorum rigida & ab humanitate remota secta, sepulturam corporum, ejusque curam fecerunt minimi, parum omninò interesse rati, an corpus perituum supra terram, an infra contabesceret, ignis, aër, fluctus an
mora

mora illud consumeret. Obvia sunt eorum scita. Quibusdam illud semper in ore, *Cælo tegitur, qui non habet urnam.* Sentienti, dicebat alter, *onus est terra, non sentienti supervacaneum.* Diogenes ille Cynicus, quomodo se sepeliri vellet, rogatus, iussit cadaver abjici in humatum. Tum amici; volucrisne & feris? Minimè verò, inquit, sed bacillum propè me, quo illas abigam, ponite. Rursum illi, *Qui poteris? non enim senties?* Quid igitur, inquit, mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti. *Apophtegm. Erasmi lib. III.* Demonactem amici rogabant, quomodo vellet sepeliri: Ne quid, inquit, istares nos habeat sollicitos; fœtor me sepeliet, & dicentibus; indignum facinus, si talis viri corpus laceraretur à canibus; quid, inquit, incommodi, si & mortuus alicui sim usui. *Erasmus lib. VIII. Apoph.* Solon unus ex septem Græciæ sapientibus & Atticarum legum scriptor solus ex septem, in Cypro diem suum obiit, ossa verò transferri Salaminem, (unde oriundus erat Sapiens,) ac in cinerem redacta spargi illic voluit. *Meursius in Solone.* Theodorus Cyrenæus, Philosophus non ignobilis, Lysimacho Regi, crucem minanti, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare, purpuratis tuis, Theodori quidem nihil interest, humine, an in sublimi putrescat. *Tullius in extremâ primâ Tusculanâ.* Seneca, Romanus sapiens, Epistol. XCII. pag. 768. *Nemo liber est inquit, qui corpori servit, cuius morosum imperium, delicatumque est. Ab hoc modo equo animo exit, modo magno prosilit, nec, quis deinde reliquus ejus futurus sit exitus, querit. Sed ut ex barbâ capillos detonsos negligimus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an fera distrabant, an ter-*

Abominandi
ac Varii mo-
di cadavera
mortuorum
abolendi a-
pud Barba-
ros.

ra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. Utrum projectum aves differant, ac consumatur canibus data præda marinis, quid ad illum? qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet, ullasne timebit post mortem? Neminem, inquit porro, de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo, ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sevitia projecit, dies condet. Disertè Mæcenas ait: Nec tumulum curo sepelit natura relictos. Græcus Scriptor apud Stobæum Ser-mone XXXVIII. Si non tegaris terrâ & insepultus sis, que hæc molestia? aut quid refert, igne comburi, aut à cane devora-ri, aut supra terram existentem à corvis, seu defossam à vermi-bus? Nonnullæ etiam Gentes eò processerunt imma-nitatis, humanitatis, quam naturæ lex imperat, oblitæ in tantum, ut mortuorum corpora in cibum conver-terent & epulis immista, intra viscera sua recluderent, honestum esse arbitrata, suis in proprio ventre condi-torium struere. Unde Petronius Arbiter in Satyr. Apud quasdam gentes scimus aabuc legem servari, ut à pro-pinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgen-tur agrifrequentè, quòd carnem faciant pejorem. Ex Bri-tannicis populis Iberni, efferati homines, parentum defunctorum corpora frustillatim dissecta vorantes, pulcrum sibi illud & jucundum ducebant epulum. Strabo lib. IV. Massagetæ, Derbices, Essedones (Scytharum hi populi sunt) mortuorum corpora cæteris mix-ta carnibus comederunt. De illis Strabo lib. XI. Mor-tis genus optimum censent, si senio confecti cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unâq; devorentur: qui è morbo dece-dunt, eos abjiciunt, tanquam impios & dignos, qui à feris vo-ventur. Idem de Derbicibus. Qui LXX. annum exceffe-runt,

runt, eos jugulant, carnes genere proximi absumunt: vetulas strangulant, inde sepeliunt, qui intra LXX. annum moritur, non editur, sed bumatur. De utrisque vide Hieronymum Epist. contra Jovianum, de Massagetis verò Herodotum lib. I. in fine. Senio autem confectos parentes, imbellem turbam, mactare & carnibus ipsorum vesci solebant, tùm ne laborarent incommodis Senectutis, tùm ut à se potiùs quàm à vermibus absumerentur. De Essedonibus ita Pomponius Mela de Situ Orbis lib. II. cap. I. Essedones funera parentum lati & victimis ac festo coitu familiarium celebrant. Corpora ipsa, quod dictu audituque fœdum est, laniata & casis pecorum visceribus immista epulando consumunt. Capita ubi fabrè expolivèrè, auro cincta pro poculis gerunt. Hæc sunt apud eos ipsos pietatis ultima officia. Silius Italicus lib. XIII.

Cœlites vacui capitis circumdare gaudent

Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.

Hinc Aeneas Sylvius, aliàs Pius II. P. R. in descriptione Asiæ cap. XIII. Essedones, inquit, ossa capitum suorum parentum, auro cincta, in poculorum tradere ministerium, afferunt. De Padeis gente Indicâ refert Herodotus lib. III. illos in more habuisse positum, ut quoties aliquis civium ægrotarit, illum sui maximè familiares interemerint, quòd dicant illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum. Et licet ille, neget se ægrotare, nihilominus isti non ignoscentes, necant eum epulanturque. Fuerunt, qui avium canumque laniatibus mallent corpora exponere, quàm humo tegere. Persæ veteres, nobilissima natio, quanquam fato defunctos cerâ circumlitos, ut maximè diuturni essent, domi

condo-

condebant, ut refert *Alexander ab Alexand. Gen. Dier. lib. III. cap. 2.* Aliquibus tamen ex eadem gente solemne fuit, canibus, feris & volucris dilaniandos objicere mortuos, ut scribit *Procopius lib. I. de bello Persic. Agathias lib. II. Histor.* Solemne iis fuisse, ait, corpora extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pabula dent avibus; Execrabilia autem ea censere, quæ devorantorem aliquem non primo quoque tempore invenirent, eaque demùm lugeri à cognatis solita, tanquam solo barathro digna, & malis Dæmonibus mancipata. Verum hoc quod de Persis referunt *Procopius & Agathias* postremis temporibus apud illos in usu fuisse observat *Kirchmannus in Appendice ad Libr. de Funeribus Rom. cap. II.* Antiquissimos autem Persas mortuos suos humasse: nisi quod Magi in Persia illos feris prius laniandos objecerint, ut tradit *Cicero i. Tuscul. Magorum mos erat non humare corpora, nisi à feris essent ante laniata.* De Parthis, procul à nostro Orbe sitis, scribit *Justinus lib. XII. Sepulcra vulgò aut avium aut canum laniatus est; Nuda demùm ossa terrâ obruunt.* Hyrcanis, quorum horrida & inculta vita fuit, canes ad hoc officium nutriti, pro sepulcro fuere, qui sepulcrales hinc dicti. Ita enim sub finem *I. Tusculanarum Tullius: In Hyrcania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro suâ quisque facultate parat, à quibus lanietur: eamque optimam illi censent esse sepulcrum.* Idem de *Bactriis* refert *Strabo lib. XI. De Caspiis verò lib. eodem; Caspij inquit, eos, qui septuaginta, amplius, annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejiciunt: eminusque spectantes, si à feretro detrabi eos ab avibus videant, predicant beatos;*
fin

sin à feris aut canibus, non item; infelices si omnino non detra-
bantur. Iberi, quod *Silius Italicus* docet *lib. II. Punicor.*
Vulturibus mortuos exposuerunt. Hinc Diogenem
dixisse ferunt, si canes cadaver suum lacerarent, Hyr-
canam sepulturam fore; si vultures, Iberam, teste *Sto-
beo serm. 122.* Chii combustis cadaveribus & ossibus col-
lectis in mortuario ea contundunt, deinde navigio im-
ponentes, in altum navigant, atq; per cribrum ad ven-
torum flatus dispergunt, donec omnino dissipentur &
abolcantur, ait *Kornmannus de mirac. mortuor. part. VII.
cap. IV.* Quosdam Aethiopum, qui *ixθυοφάγοι* dicun-
tur, ante de mortuos in paludes, (nonnulli Meroita-
rum in flumen Nilum) projecisse piscibus escam futu-
ros, autor est *Sextus Philosophus lib. III.* Alii ex eadem
gente circumfuso vitro intra penetralia domi serva-
bant. *Aethiopes ex anima corpora vel in flumen deijciunt vel
vitro operta, ita ut integra spectentur, & posteris spectaculo
sint, asservant,* ait *Alexand. ab Alexandro Gen. Dier. lib.
III. c. 2.* Lotophagos ex ultimâ dicunt barbarie suos in
mare defunctos abjicere, inquit *Kornmannus de miracul.
Mortuorum part. VII. cap. I.* Hyperborei, qui in extimo
Orbis tractu, in litore Septentrionalis Oceani, ultra
Aquilonem (unde & nomen eis à Græcis quæsitum,)
fuerunt, si fuisse credimus, vitæ saturi semetipsos ex
quâdam abruptâ rupe in mare dedere præcipites, vo-
luntario interitu obeundi tarditatem castigantes, si
Plinio credimus *id affirmanti lib. IV. cap. 12.* Troglody-
tas quosdam ferunt adducti in collem defuncti colla
laqueis ex paliuro contextis cruribus alligare, faxisq;
non sine risu petere ac obruere, quousq; corporis fa-
ciem occultent: imposito dehinc capreæ cornu omni-
nò hi-

Aa

nò hi-

nò hilares discedere. Videantur *Strabo* lib. XVI. & *Pbotius* in Bibliothecâ. *Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt & insutos ex arboribus suspendunt*, ut tradit *Aelianus* lib. IV. *Var. histor. cap. I.* De principum funeribus & sepulturis apud Septentrionales populos, refert *Olaus Magnus* Archiepiscopus Upsaliensis lib. XVI. *Histor. cap. 37.* Morem antiquorum fuisse, cadavera principum in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquam sacris locis, numinibus consecratis, suspendere. Verùm hanc *Olai Magni* narrationem in dubium vocat *Olaus Wormius* *Mon. Dan. lib. 1.*

De Crematione multis populis communi.

cap. VI. in fine. Cremare mortuorum corpora, antiquissimum institutum Græcorum fuit & Troicis temporibus apud illos usitatissimum. Mos ille etiam ad Romanos pervenit, unde *Tacitus* lib. XVI. *Annal. de Poppæâ; Corpus non igne abolitum, ut Romanus mos.* Simul tamen in usu fuit Humatio apud Græcos pariter & Romanos, ut I. capite probatum dedi. Hinc *Kirchmannus* inquit *lib. I. de Fun. Rom. cap. I.* Ex dictis igitur liquet & Combustionis & Humationis morem apud Græcos obtinuisse, nec introducto uno exolevisse alterum, sed remansisse utrumq; aliis hunc, aliis istum usurpantibus, pro cuiusq; arbitrio, opinor, & voluntate. Romanos autem ad exemplum Græcorum & humasse & combussisse mortuos, sequenti docet capite. Universis etiam Celtis per Illyricum, Germaniam, Gallias, Hispaniam, Britannicasq; insulas communis fuit hæc *Nepugnansia*, ut docet *Philipp. Cluverius German. Antiq. lib. I. cap. LIII.* Orientales verò populi non comburebant cadavera. Non Hebræi, ut supra cap. VII. ostendi. Non Persæ; Hi enim ignem DEUM esse opinabantur, atque ideo cadaver hominis DEO consumendum objicere nefas.

nefas putabant. Non Aegyptii; His namq; persuasum
erat, ignem esse animatam beluam, arreptaq; quavis
devorare atq; consumere, ubi verò expleta & saturata
fit, simul cum ipsâ re devoratâ emori. Utrumq; refert
Herodotus lib. III. p. m. 226. Cæterum postquam Christia-
na religio per Orbem obtinuit, ritus ille gentilis cre-
mandi mortuos est sublatus. Disertè etiam scribit *Ma-
crobius*, qui sub Theodosio juniore vixit, morem illum
suo tempore planè exolevisse, *lib. VII. Saturnal. cap. 7.*
Antoninum Cæsarem planè sustulisse humanorum
corporum combustionem, dicit *Christ. Besoldus Consi-
der. Politic. Vita & Mortis cap. I. Hieron. Magius in Aem.
Prob. Annot. in Alcibiadem.* Verum id neque fictum, neq;
scriptum, neq; pictum usquàm se meminisse legere, di-
cit *Kirchmannus lib. I. cap. II.* Illud extra dubium est, in-
valescente Christianismo *Næguavstian* exolevisse. *Nu-
spiam cremandorum cadaverum in jure nostro mentio fit*, in-
quit *Finckelthaus Disp. de Jure Sepult. thes. XXVII. si-
quidem Ulpiani & aliorum J. C. ejus ætatis seculo jam usus u-
rendi corpora desit, & præsertim Justiniani & Compilatorum
Juris, qui jam receperant fidem Catholicam.* Sed varia apud
diversas gentes abolendi corpora defunctorum, ser-
vata discrimina, cultissimè paucis inclusit versibus *Si-
lius Italicus lib. XIII. Punicor.* quos potiùs apud ipsum le-
ge, si vacas. Confer & de his plura cognoscere cupiens
*Alexandrum ab Alexandro lib. III. Gen. dier. cap. II. Kirch-
mannum in Append. ad lib. de F. R. cap. II. Kornman-
num de Miraculis Mortuorum parte VIII.
cap. III. IV. seqq.*

*Per Christia-
nismum verò
abolitâ.*

A a

CAPUT

CAPUT XVI.

Quinam in funeribus moderationem adhibuerint?

Medium tenuere, qui certâ quâdam ratione esse curam sepulturæ habendam, honestèq; sine luxu tamen & superstitione recondenda defunctorum corpora statuerunt. Inter Gentiles, Veteres Germaniæ, communis patriæ, populi, ut animositate cæteris nationibus superiores, ita in moderatione circa funera nulli fuere secundi. Sic enim Tacitus, explicatis universis & singulis morum Germanorum partibus, tandem concludit; *Funerum nulla ambitio, id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremantur, struem rogi, nec vestibus nec odoribus cumulant. Sua cuiq; arma quorundam igni & equus adjicitur: Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur.* Priorum verborum hæc est sententia, ut mentem Historici explanat *Phil. Cluverius Germ. antiq. lib. I. cap. LIII. seu ultimo: Omnium pariter mortuorum apud Germanos corpora fuisse cremata, sed sine ambitione ac pompâ, vulgaribus lignis, clarorum tantum virorum corpora certis combusta lignis, id est, quæ sitis atque delectis.* Germanorum in funeribus modestiam Indi quoque observarunt. Solinus de iis cap LV. *Nullus funerum apparatus.* Et Strabo lib. quinto decimo, *In tumulis & sepulturis perparci sunt, in cultu corporis contra nimii.* Cyrus Rex, qui Persis Imperium constituit, lautum ac sumptuosum funus.

*Germani
Veteres.*

Indi.

*Cyrus Rex
Persarum.*

funus, monumentumque conspicuum contempsit,
humari tamen & sepeliri voluit, apud sapientissimum
Xenophontem lib. III. Cyroped. quando ita ad suos; *Mei pue-*
ri, cum decessero, nolite neq; in auro, neq; in argento, neq; in a-
lio aliquo lapide collocare corpus meum, sed illud terra reddite
quamprimum. Atque hoc nomine præcipuè laudatur
Saladinus, magnus ille Orientis Monarcha, qui no- *Saladinus.*
luit opulentiam suam ostentare vermibus, sed morti vi-
cinus, condito testamento, omnem funeris pompam
abdicavit, jussitq; tantum in lancea præferri lineæ in-
terulæ lacerum fragmentum, (juxta alios, atrii coloris
obsoletam tunicam) præcinente quodam ad populum
hujus sententiæ epiphonema :

Floruit in toto qui Rex Oriente superbus

Hunc nisi panniculum possidet ecce nihil.

Velut alij *Vixi divitiis, regno, tumidusq; trophæis :*

referunt; *Sed pannum heu! nigrum, nil nisi morte tui.*

Germana simplicitas: *Ein Tuch ins Grab / damie*
Schabab. Neq; enim in aream descendit mortuus, ubi
festivitates & choreas ducet, sed ubi à vermibus devo-
rabitur. Quæ item insania, miseriam humanam, cujus
per mortem nostrorum admonemur, pomposis vesti-
bus velle obtegere, luctumque convertere in luxum?
Sic namque ducenda sunt funera, ut dolor esse funeri-
bus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.
Euripides mihi in mente, in Polydor: *Mentes hominum*
insaniunt, cum sumptus inutiles pro mortuis expendunt. Me-
nander in Perinthia; *Nunquam amalatus sum cadaver*
sumptuosum. Nam spatii non amplius occupat quam valde pau-
per. Scitè Plinius in Epistolis contra nimiam sepul-
cralium monumentorum curam; *Impensa monumento-*

Ab 3

rum

rum supervacanea est, memoria nostra durabit, si vitam meriti fuerimus. Superfluos honores ipse rejicit Horatius lib. II. Od. ult. in suo futuro funere:

*Absint inani funere nenia,
Luctusq; turpes & querimonia,
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores,*

Divinus Plato magnis impendiis sepulcra fieri in Re- publ. suâ non concedit, cujus sententiam ita retulit in extremo II. de Legib. Cicero; *Extrui vetat sepulcrum al- tius, quam quod quinq; homines, quinq; diebus absolverint, nec è lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, incisam quatuor heroicis versibus, quos longos appel- lat Ennius.* Detestabantur Christiani Doctores Vete-

*In modera-
tionis orbitâ
Doctores
antiqui Chri-
stianos con-
tinebant.*

res barbaricum atque adeò Cynicum illum abjiciendi cadavera humana morem, suosq; edocebant, honestè esse recondenda fidelium defunctorum corpora. *Ju- stum est, par est,* inquit Cyrillus lib. X. contr. Julian. *omnes eò reponi, unde corpus hoc animi pondus hominis arcbite- ctus desumpserat: Defunctorum interim reliquias viderit quis- piam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed benè compositas, Occultata namq; sunt quodammodo in sinu matris in profundis terra.* Præclare Augustinus lib. I. de Civ. DEI cap. 13. *Non sunt contemnenda & abjicienda cor- pora defunctorum maxime justorum atq; fidelium, quibus tan- quam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujus- modi, tanto charius posteris, quanto ergà parentes major affe- ctus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, que utiq; mul- to familiarius atque conjunctius, quam qualibet indumentage- stamus.*

stans Moderatos etiam sumptus in rebus funereis pro ratione statûs, conditionis, regionis, facultatum, ac temporum admittebant. S. Ambrosius lib. I. de Abraham cap. IX. super illud Gen. XXIII. Surrexit Abraham de officio funeris: *Docemur, inquit, ut non diutiùs inbarcamus mortuis; sed quantum satis est, officii defera-* mus. Et S. Chrysostronus Homil. LXXXIV. postquam valdè reprehendisset illos, qui mortuos pretiosis involvunt vestibibus, atque ita sepeliunt, tandem concludit; *Non tamen sepulturam prohibeo; sed modus servetur, ut tegatur corpus, non nudum mandetur terra.* In luxum verò immoderatum & superfluos sumptus, qui vel in corporibus vità functorum splendidè ornandis vel in exequiis ambitiosè apparandis à quibusdam adhibebantur, acriter invehebantur, ut ex locis cap. XIV. adductis aliisque manifestum est.

CHRISTO JESU,
Qui, nostra sepulcra contactu sanctissimæ suæ
Carnis sanctificavit,
GLORIA SIT ET HONOR IN
SECUA.



Da veniam, benigne Lector, maculis, easq;
si placet, hunc in modum emenda.

I It. A. 2. later. 2. lin. 2. & 3. pro illo; Si Andree Riveto fi-
des & c. pone Actor. II. v. 29. Lit. D. 1. lat. 1. lin. 13. pro fa-
ris lege feris. lin. 16. pro solverent lege solverent. lin. 28. pro
Crines lege Cineres D. 3. lat. 2. lin. 10. pro m. lege in D. 4.
lat. 2. lin. 7. pro judicerunt lege judicarunt. E. 2. lat. 2. lin. 11.
pro Themistii lege Themistoclis. lin. 19. adde ne idem lu-
dibr. & c. lin. 21. pro reliquas lege reliquias. F. 2. lat. 1. lin. 17.
lege Gen. cap XVII. v. 1. lat. 2. lin. 14. lege גַּרְגַּרִּי. lin. 17. adde
post vocem Moses) G. 1. lat. 1. lin. 25. pro Eucherius lege Eu-
cherius. G. 3. lat. 1. lin. 7. post. vocab. autor adde est. H. 2. lat.
2. lin. 11. lege Simpludiarum. I. 2. lat. 2. lin. 16. pro inferendi le-
ge efferendi. I. 4. lat. 2. ante finem lin. 4. lege praeferabant.
L. 4. lat. 1. lin. 5. pro signis lege segnis. M. 2. lat. 2. lin. 10. lege
lib. III. cap. XX. M. 3. lat. 1. lin. 18. pro XVII. lege XLVII.
M. 4. lat. 2. lin. 17. pro 23. lege 22. lin. 30. pro putrescerent lege
putescerent. N. 3. lat. 1. lin. 16. pro qui lege quæ. N. 4. lat. 1.
lin. 2. pro νοιωντιεiov lege νοιωντηεiov. Q. 1. lat. 1. lin. 13. pro
Ecclesia lege Ecclesia, Q. 3. lat. 1. lin. 5. à fine pro cujusdem
lege cujusdam.

GLORIA ET HONOR IN
SECULA


ULB Halle
002 684 632


3



VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

PULTURA

VETERUM.

five

ANTIQUIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS

eorum, Græcorum, Romanorum & Christianorum

COMPUTATIO OCTAVA ET ULTIMA.

Quam

D. O. M. A. PRÆSIDE

ANDR. QVENSTEDT.

L. FACULT. PHILOSOPH.

ADJUNCTO,


Publicæ ac placidæ disquisitioni subijcit.

HANNES COCUS,

Loburgensis Saxo.

Ad diem 29. Novembr. horis matutinis.

In Auditor. Philosophor.



WITTEBERGÆ

MICHAELIS Wendt / Anno MDCXLVIII.

10
10
1648 10

